



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XVIII. Exemplo S. Scripturæ istud confirmatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

ab eo longè esse dicuntur, qui peccando
 dissimillimi facti sunt: & hi ei propinqua
 re, qui eius similitudinem piè viuendo re
 cipiunt. Sicut rectè dicuntur oculi tam
 esse ab hac luce longiùs, quanto fuerint
 ciores. Quid enim tam longè est à luci
 quàm cecitas, etiamsi lux præsto sit, atque
 oculos perfundat extinctos? Propinqua
 autem luci meritò perhibentur oculi, et
 sanitatis accessu, aciem recipiendo, lucem
 recipiunt. Hæc S. Augustinus. Atque
 hic est peccati effectus, separare, & e
 longare homines à Deo.

*Exemplo sacra Scriptura istud con
 firmatur.*

C A P. XVIII.

SAul fuit per aliquod tempus vir iu
 stus, humilis, & Dei præceptis obe
 diens, atque vt talis, in regem Israë
 electus. Cum Deus ipsi præcepisset, ut
 pugnaret contra Amalecitas, nec quicquam
 viuum relinqueret, iuit, & per
 pietatis speciem Agag regem, nec non
 animalia quædam pro sacrificio viuam
 reli-

reliquit. Eodemque temporis puncto, quo hoc Dei præceptum cum mortali peccato transgressus est, Deus ipsum odisse cepit, & à se abiecit, id Samueli significans his verbis: *a Pœnitet me, quod constituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit: Quasi diceret; destruiam eum, & regiam dignitatem ab ipso auferam. Et abiens Samuel indicavit illi sententiam Dei, dicens: Pro eo, quod abiecasti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex.* Ergo, Domine, non respexisti virtutem præteritam Saul, obsequia, quæ tibi præstitit, & merita, quæ habuit? Non; quia omnia per peccatum mortale perdidit. Hoc idem cuius peccatori accidit; quem eo puncto, quo aliquod Dei, vel maiorum suorum præceptum transgreditur, Deus separat, & à se repellit; separat eum ab amicitia, & gratia sua, & in regionem mortis, æternamque damnationem projicit. Sic per Ieremiam affirmavit,

I 3

di-

a 1. Reg. 15. 11.

dicens: *a* Si gens aliqua fecerit malum
 in oculis meis, ut non audiat vocem meam,
 pœnitentiam agam super bono, quod locu-
 tus sum, ut facerem ei; hoc est, negabo
 ei bonum, quod ipsi fecissem, quod quod
 ei feci, hoc ipsam spoliabo. O quam
 vehementer timenda hæc plaga est!
 quàm lethale vulnus animæ, quæ aliud
 bonum non habet, nec aliam consolati-
 onem, quàm Deum, si ipsi dicatur
 Peccasti mortaliter! ergo Deum po-
 nituit boni, quod tibi fecit, & bonum
 quæ tibi dedit, abstulit, quæque tibi
 dedisset, si in eius amicitia perseveras-
 ses, tibi negavit. *b* Qui elongant se peccatum
 à te, Deus meus (inquit David) peribunt:
 quia verè destrues, perdesq; in æternum
 omnes illos, qui fornicantur abs te;
 qui sunt ij, qui debent tibi amorem
 negantes, eum in creaturis collocant.
 Hinc sequitur, si homo peccatum
 mortale committat, excedere eum illâ
 dignitate, & honore altissimo, quæ
 habebat vnitus cum Deo fieri.

a Jer. 72. 27. *b* Ps. 72. 27.

ferique vilissimum, & omni contemptu dignum; sicuti Deus per Ieremiam dicit, loquens cum populo, qui peccarat: *a Quam vilis facta es nimis, iterans iniquitatis vias?* Excidit quoque infinito illo thesauro, omnibusque divitijs gratiæ, & caelestium donorum, quæ possidebat, quia cum Deo per amorem unitus erat; & manet miser, exutusque omni verâ virtute, & omni bono, ac solatio ad iustos pertinente: quemadmodum Christus Episcopo, qui peccauerat, dixit: *b Dicis, quia dives sum, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus;* hoc est, omnium bonorum, quæ animam tranquillare, consolarique possunt, expers. Tantum enim vacuum, tantaque solitudo est in animâ, quando Deus illam à se repellit, ut quamvis omnia terræ bona simul unita possideat, non possint implere illam, nec locupletare, nec quietare, nec consolari; nam cum Dei ca-

I 4

pax

a Jer. 2. 30. b Apoc. 3. 17.

pax sit, & propter Deum creata, sol
 Deus, qui est infinitum bonum, e
 diuitem, quietamque facere, & con
 lari potest. Excidit etiam anima
 protectione, ac defensione, & illa fr
 titudine, ac securitate, quam habet
 cum Deum habitatorem haberet; m
 netque debilis, & magnis pereun
 periculis exposita. Quemadmodum
 nauis, quæ in medio mari æstuante,
 ne anchoris, ac velis est, & à vehem
 tibus ventis, ac decumanis fluctibus
 impugnatur, in submersionis est per
 culo; sic anima, quæ à Deo per pecc
 tum separata est, cum ei desit illud
 magnum auxilium, ac protectio Dei,
 qui paternis illam oculis respiciebat,
 habeatque multos, & fortissimos in
 micos, qui eam impugnant, in mani
 fto versatur periculo, ne vincatur ce
 dendo in noua peccata, in ijsque pe
 seueret, donec damnetur. Id quod
 Paulus sentit, ac deflet, de multis pec
 catoribus dicens: *a Multi inter vos*

a Ad Philipp. 3. 18.

ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) qui in vitâ suâ sunt inimici Crucis Christi, quia amant huius mundi delicias, & viciosas voluptates, quas Crux Christi condemnat: quorum finis est spiritualis interitus, perniciēs animarum ipsorum, & æterna corporis, animæque damnatio. In hoc desinunt, & hunc finem habent ij, quos Deus à se repellit. Sed quia: certum est, Deum nunquam à se hominem repellere, nisi ipse homo priùs per peccatum mortale Deum à se repellat, sicuti Azarias Propheta testatur, dicens populo Iuda: *a Dominus vobiscum est, fauendo vobis, quia fuistis cum eo, voluntati ipsius obediendo: si autem peccando dereliqueritis eum, & ipse derelinquet vos, manum de vobis tollendo; studeamus summâ cum diligentia nunquam in peccatum mortale consentire; & si in aliquod consensimus, quamprimùm pœnitentiã de eo agamus, detestando illud, confitendoque,*

I 5

tan-

a 2, Paral, 15, 2,

tanquam tantum malum, vt nos à Deo
separet; & sic conseruabimus vnione
charitatis, & gratiæ cum Deo, & ipse
nobis implebit promissionem, quam
fecit Iosue, quamque (vti S. Paulus ex-
plicat) cuius suo seruo facit, dicens:
*Non derelinquam te vnquam, sed ser-
per ero tecum: ita vt magnâ cum
duciâ possimus dicere cum David:
Dominus mihi adiutor, & defensor
omnibus tribulationibus, ac periculis
meis; quare non timebo, quid mihi
facere possit homo; nam Dominus
modo, qui bono animæ meæ conue-
nientissimus erit, me liberabit.*

*De magnâ cecitate, quam peccatum mortale
inuehit in animam, vt non cognoscatur
damnum, quod accipit, nec pericu-
culum, in quo ver-
satur.*

C A P. XIX.

Aliud malum, ac damnum, quod
peccatum mortale animæ inferit.

a Ios. 1. 6. Ad Hebr. 13. 5. b Ps. 117. 6.